Lēctiō	sexta	Dē	origine	Athēnārum	Iam	prīmus	rēx	Athēniēnsium	rēgnābat,	sed	duo	deī,	Neptūnus	et

Minerva	dē	imperiō	Atticae	inter	sē	certābant.	Deī	Olympī	certāmen	spectābant:	Uter	urbī	dōnum	pretiōsius

dat?	Neptūnus	tridentem	in	saxum	iēcit	et	ē	saxō	fōns	aquae	salsae	ērūpit.	Minerva	autem	hastam

suam	in	terram	iēcit	et	ē	hastā	olīva	crēvit.	Aquam	salsam	in	marī	satis	habēmus;	olīva	ūtilior

et	pretiōsior	est	dīcēbant	deī.	Ītaque	Iuppiter,	summus	deus,	terram	Atticam	frātrī	negāvit	et	fīliae	suae

Minervae	adiūdicāvit.	Dea	Minerva,	quam	apud	Graecōs	Athēnam	nōminābant,	nōmen	suum	urbī	dedit	et

patrōna	Athēnārum	facta est.	Neptūnus	prīmum	īrātus	paeninsulam	aquīs	Oceanī	paene	dēlēvit,	sed	posteā

Attĭcōs	dilēxit,	et	doctrīnam	nauticam	eīs	trādidit.	Athēniēnsēs	utrumque	deum	colēbant,	et	ubī	fōns	ērūperat

et	olīva	crēverat,	diīs	templum	commūne	aedificābant.	Posteā	Thēseus	rēx	cīvitātēs	Atticās,	quārum	maxima,

clārissima	et	pulcherrima	Athēnae	fuērunt,	coniūnxit.	Thēseus,	fīlius	Aegeī,	sīcut	amīcus	ēius,	Herculēs,	permulta	facta

fortia	fēcit.	In	īnsulā	Crētā	Mīnōtaurum	interfēcit.	Mīnōtaurus	in	labyrinthō,	quem	Daedalus	aedificāverat,	habitābat.

Athēniēnsēs,	quia	Mīnōs,	rēx	Crētae	in	bellō	eōs	dēvīcerat,	puerōs	et	puellās	fīliō	ēius	Mīnōtaurō	mittere

dēbēbant,	quī	eōs	dēvorāvit.	Thēseus	sponte	suā	in	Crētam	navigābat	et	Mīnōtaurum	horrendum	interfēcit.

Sīc	patriam	suam	perīculō	magnō	līberāvit.	Ariadna,	soror	Mīnotaurī	Thēseum	vĭrum	clārum	et	fortem	amāvit

et	adiuvābat.	Auxiliō	puellae	Thēseus	vīvus	ē	labyrinthō	ēvēnit	et	cum	Ariadnā	Athēnās	versus	nāvigābant..